

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Hermann Schuckmann Michael Cordes

**Sarkopneumatomachia hoc est Exercitatio Theologica De Lucta Carnis Et
Spiritus, Ex Dicto Galat. V. vers. [17.]**

Rostochii: Richelius, 1655

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740006282>

Druck Freier  Zugang



R. U. Nach. 1655
Schückmann, Hermann/a
Vat. Codex, Michael

44. 16.
#

ΣΑΡΚΟΠΝΕΥΜΑΤΟΜΑΧΙΑ
hoc est
EXERCITATIO THEOLOGICA
D E
LUCTA CARNIS
ET SPIRITUS.

Ex Dic̄to Galat. V. vers. 17.

Quam

DEO clementer adjuvante

&

Consentiente Veneranda Facultate Theologica
in Illustri ad Varnum Academiâ Patriâ

Sub

P R A E S I D I O

V I R I

Admodum Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi

DN. HERMANNI Schuckman/

SS. Theol. Doctoris & Professoris P. Consistorii Ducalis

Ecclesiastici Adsestoris gravissimi, Dn. Præceptoris, Promotoris & Fautoris sui magni, debito observantia
cultu ætatem devenerandi.

*Ad diem XXV. Augusti, in Auditorio Majori, horis matutinis,
Placido Eruditorum Examini committit*

MICHAEL GÖRDES, Rostochiensis

Autor & Respondens.

• (o) •

ROSTOCHII

Typis Johannis Richelii, Senatus Typogr.

Anno cīc Iac L V.



I. N. D. N. J. C.

PROOIMION.

Vi dux partes essentiales vel integrantes, anima sc. & corpus, consti-
tue hominem physicè: sic in eodem
homine sed theologicè considerato, b. e.
Renato & pio, duo sunt diversa agendi
principia, Caro sc. & Spirius; Illæ quin-
dem amicè conspirant uta, ut altera alte-
rius ope carere non possit; anima enim
per corporis membra, ut organa & instrumenta agit, suasq; actiones
elicit; & corpus per animam, ut causam efficientem, actiones suas
perficit. Hæc verò sibi invicem sunt opposita cum repugnantia
quædam & pugnâ, affirmante id Paulo Gal. V. 17. & sic per contra-
ria in homine pio & renato agunt. Nam cum diversorum diversæ
sint actiones & operationes, utique & hæc diversas eliciunt, sibiq; sem-
per concurviantur, & movente civile bellum in homine pio. Hæc al-
tius pensculans Vir angustiarum Jobus, verè & opumè hominis vi-
cam vocat militiam cap. VII. I. confer c. XIV. 14. Militia est
vita hominis super terram. Quod (non ratiū in genere,
de militia cum hostibus corporalibus & paenit peccati, ut sunt labores
onerosissimi, dolores acerbissimi, ærumnae gravissimæ, intelligere licet,
quarum vita hominis plena & referita est; nam undique sunt dolo-
res, sunt undique tristitia & luctus, Syrac. XL, I. 2. contra quæ, ut
militibus adversus hostes, pugnandum est homini. Vid. cap. XIV.
14. sed etiam) in specie de militiâ, quam in homine pio Caro & Spi-
rius

rius militant, accipiendum. Verè enim de hâc pronunciatum, vi-
ram hominis renau esse militiam: ipsi enim semper, per Spiritus grati-
am pugnandum, cum pravis carnis titillationibus, ejusque desideriis for-
riter resistendum: Hic hostis domesticus est domandus, est profigen-
dus, ut conatus ipsius reddatur irrius. Huc quadrat effatum Pauli
II. Tim. II. 3. vocans hominem Renatum militem Jesu Christi (quod
tamen dictum speciarum intelligitur de ministris Ecclesiae) cui est bona
militia militanda I. Tim. I. 18. & VI. 12. O! verè bonam & uti-
lem! si finaliter in pio homine storescit: Hec etenim impedit, quod mi-
nus Renatus, pravis superari desideriis Carnis, aeternis addicantur Ge-
hennæ flammis; Hec eò confert, ut Renatus tanquam bonus miles,
subactis hostium molestiis & aerumnis, depositisque ad se bellum hostibus,
coronâ justicie exornatus, regnet cum Christo supremo Ductore in
omnem seculorum aeternitatem. O! te felicem, si strenue pugnas, tan-
dem Victor evades! Scimus pugnandum esse; sed actus & modus per-
difficilis est: Etenim Carnem alè perversam mulium laboris est
subigere, ejus desideria fortius profligare, est res multi negotii; do-
mesticum hostem expugnare, difficile & arduum est: Non est homi-
nis, non est virium nostrarum, sed Spiritus S. Per hunc labor, per
hunc onus in hâc militia ferendum. Quod tamen mulii Hypocrita &
Veritatis hostes negant, ideoque in multis hanc lucidam concernentibus, ab
orthodoxis dissentunt. Sed sequendus est ductus Scripturæ S., quæ
opeimè hanc Σαρκωδυναγχιαν suis locis delineat, quorum positre-
num non est, Dictum Galat. V. 17. Quod jam, exercitiū gratiâ, enu-
cleare animus est, utpote in quo propriam hâc doctrinam habet sedem.
Sed ut ordine quodam in hâc arduâ materiâ progrediveliceat, præmissa
Alterius textus, hanc differentiationem in tria dispescemus. Commata.
Quorum Primum Dictum cum præcedentibus connexionem, scopum, &
dispositionem proponet. Secundum Ejusdem exegesin philologicam
& theologicam sister. Tertium Descriptionem, ex textus exegesi &
sacra Scripturæ eruam, cum ejus uberiori explicatione dabit. JU-
VA, JOVA, JUBE!

Dictum

Dictum Galat. V. versic. 17.

Textus Originalis.

Η ἡδονὴ τὸ πεπονικόν
τυμηὶ τῷ τοῦ πεπονικού
μαζῷ, τῷ δὲ πεπονικού
μαζῷ τὸ οὐρανός,
τούτῳ δὲ αὐτοῖς ταῖς
ἀλλήλαις, ἵνα μὴ ἀ-
ποθέψῃ τὸ θελήμα,
τούτῳ δὲ αὐτοῖς ταῖς
ἀλλήλαις.

Versio Latina Tremellij.

Nam Caro concupi-
scit id, qvod op-
positū est Spiritui,
& Spiritus concipi-
scit id, qvod oppo-
sitū est carni; & am-
bo cōtraria sunt in-
vice, ut nō id, qvod
volueritis, faciatis.

Germana Lutheri.

Denn das Fleisch
geldet wider den
Geist vnd den Geist
wider das Fleisch/
dieselbige sind wi-
der einander / daß
ihr nicht thut / was
ihr wollet.

C O M M A P R I M U M

Dicti cum praecedentibus connexionem, scopum &
succinctam Analysis Logicam exhibens.

S. I.

Animus Paulo erat in Epistola ad Galatas docere, quid sit
justitia Christiana, ideoq; hanc propositionem evidenter
tractat, qvomodo homines coram D E O salvi & justi fiant,
imprimis autem, qvō melius suæ doctrinæ ut voci D E I crederent,
cap. I. & II. probat, suam doctrinam non esse ex hominibus, sed
ab ipso D E O & D N. J E S U C H R I S T O revelatam: deinde circa
finem cap. II. & capite III. toto, ut & cap. IV. gravissimis argu-
mentis evincit, hominem (non propter opera legis, sed) propter
solum C H R I S T U M justificari: tandem de justitiae veræ conse-
quenti, videl. Novā obedientiâ differit, sc. justificatos non debere
abuti Christianā libertate, ad licentiam Carnis, cap. V. & VI. ad
qvem abusum facile posse pertrahi propter effrænem Carnem &
Concupiscentias carnales, qvæ homini insunt, à qvibus maximè
caveant, docet cap. V. ubi in ultimâ parte instituit adhortatio-
nem ad studium pietatis & continentiae; huic autem magnam
operam adhibendam esse, probat à pugnâ Carnis & Spiritus, qvæ
invicem adversantur, ut non omne opus bonum possint justificati
facere, qvod velint.

A 3

S. II. Est

§. II. Est igitur hoc dictum *αὐλολογία*, petita ab *αὐλοπάτερ*
sive luctâ Carnis & Spiritus, qvæ prohibet, ut non qvævis possint
præstare, qvæ velint Renati. Ut verò Epicuræ & Ethnici hanc lu-
ctam plane negant, nec sentiunt, sic & negarunt olim Pontificij &
adhuc plerique, qvorum errori subscribunt Photiniani, negant
contra expressa Scripturæ Sacrae testimonia, Rom. VII. 23. Gal. V.
17. prætendentes, hîc agi tantum de pugnâ Rationis & Appetitus,
illam vocantes Spiritum, hunc Carnem. Ideoq; Pererius disp. 8. in
cap. VII. Rom. (ut B. Dn. D. Balduin. in Com. h. l. annotat) Concu-
piscentiam in lege prohibitam, vocat concupiscentiam carnalem & sensi-
tivam, prout ad sui adsensum & obseqvium pertrahit voluntatem hominis.
Et Staplet. Concupiscentiam vocat totam sensualitatem, h. e. totam il-
lam inferiorum virium rebellionem. Bellarm. dubius de hac re, sibi
ipsi aliquando contradicit. Et hanc hypothesin necessariò con-
stituere coguntur, nisi dogma de perfectâ legi impletione, & Con-
cupiscentiâ non peccato, plane velint negatum.

§. III. Sed hunc locum agere (non de pugnâ Rationis &
Appetitus, sed) de pugnâ Carnis & Spiritus, & (non de pugnâ illâ
Ethicâ, sed) de hâc theologicâ, adserimus [1] ex intentione Pauli, Cui
animus erat non Ethnico, sed vitam hominis Christianam infor-
mare, & docere qvomodò ea (non tantum civiliter bona sit, ut
Ethnicorum qvorundam, sed &) theologicè D E O placere possit.
[2] Ab absurdo hanc Pontificiorum & Photinianorum sententiam inse-
quente: licet qvidem pugna inter Rationem & Appetitum maxi-
mè sit conspicua, tamen in eo potissimum non consistit hâc lucta
Carnis & Spiritus, de qvâ Paulus; aliàs seqveretur (1.) Carnem vel
sensualitatem (ut vocant) magis esse corruptam, qvam men-
tem & facultates superiores, cum tamen corruptio æqvæ omnes
partes hominis pervaserit. (2.) Paulum hac ratione nihil aliud
docuisse, qvam Aristotelem in Ethic. Qvomodo nim. desideria sensua-
litatis aureo freno Rationis coercantur, ne erumpant in actum: nam
homines meliora videre, deteriora seqvi, etiam Ethnici neverunt,
ut in Medea Ovidianâ videre est. Ergò plane frivolum est, hanc lu-
ctam (verba sunt Excell. Dn. D. Menzeri in Exeg. Aug. Conf. art.
XII. de Pœnit.) philosophicè interpretari de pugnâ mentis s. rationis &
affectionum

affectuum, quasi verò Ethicam disputationem instituere Apostolus ibi voluisset, de moderandis affectibus & recte rationi subjiciendis; cogitabunt saltem quì sic incepiant, methodum Paulinam &c. Qvo satis probatum duco, hunc locum debere intelligi de èa luctâ, qvæ est inter Spiritum, qvo filii DEI sive Renati ducuntur, & totum hominem corruptum, qvì ratione suâ tanto magis resistit dictamini Spiritus S., qvantò sibi videtur sapientior: hinc à Paulo Φεόνησις (qvod præstantissimos Carnis s. voluntatis non-renatae conatus denotat) ἀρρώστιον; vocatur inimicitia adversus DEUM Rom. VIII. 7. Jam cum Ratio sensus inferiores sub se continet, eò periculosior sit hæc pugna, si ipsa ratio Spiritui repugnat, ita enim secum trahit omnes sensus alios, qui imperium Spiritus excutere cupiunt, ideo (non sensibus πεάτως, sed) Spiritu mentis nostræ renovari jubemus Eph. IV. 23, Rom. XII. 2. unde seqvitur, pugnam illam potissimum esse inter Spiritum DEI & Rationem hominis obluctantis, & obicem ponentis Spiritui S. Tantum de scopo dicti monuisse sufficiat.

§. IV. Possunt verò hujus Apostolici dicti, qvod exposituri impræsentiarum sumus, constitui duo membra *Subjectum* & *Prædicatum*. *Subjectum duplex* est, partim Caro, partim Spiritus, qvæ ut duo diversa principia in homine renato pugnantia constituuntur. *Prædicatum* continetur his verbis: concupiscit adversus Spiritum &c. hoc itidem duplex est, de utroque enim subjecto prædicatur, qvod concupiscat. Notanda in hoc (1) *actio*, qvæ utriqve & Carni & Spiritui tribuitur, sc. concupiscere, qvæ respectu Spiritus bona, respectu Carnis mala est. (2) *Objectum* s. *subjectum* circa Qvod hæc actio versetur, nempe illius contra Carnem, hujus contra Spiritum. Huic subjungitur (3) *communis causa*, ob qvam sic contrariatio ista inter hæc duo, qvia sibi sunt opposita, & qvidem cum repugnantia quādam & pugnâ. (4) Subnectitur *finis*, ob qvem hæc lucta fiat, sc. ne qvæcunque voluerint Renati faciant.

COMMA

COMMA SECUNDUM
Proponens Exegetin textus Philogico-
Theologicam.

§. I. H. ἡ σοὶ οὐδέτερος. Particula ἡ h. l. certo respectu potest inferre significationem, & αἰλούρων & αὐλογιστῶν; illam, si respicis sensum, qvare potius ductus Spiritus seqvendus, nempe qvia hic ipse est, qui se fortiter opponit Carni & contra eam pugnat: *hanc*, qvia importat rationem illationis ab effectu & Spiritus & Carnis.

§. II. ἡ σοὶ οὐδέτερος. Hoc verbum pro conditione prædicativa admittit significata, qvæ hoc adscribere operæ pretium non est; illa tantum notamus, qvæ nobis ad institutum inserviunt. Duplicem verò, præsertim in oppositione cum Spiritu, amat significationem, & venit (1) concretè, materialiter & conjunctim pro substantia hominis & vitio substantiæ adhærente (2) abstractè & formaliter vel distinctim pro ipsâ corruptione & naturæ vitiō, à substantiâ, cui inhæret, distincto, tametsi non separato, seu pro naturâ, qvatenuis corrupta est, quem significatum h. l. obtinet. Hinc enim formale principium in homine existens, & Spiritui resistens denotatur.

§. III. Non verò [1] hīc *Carnis* nomine tantum designat Apostolus appetitum inferiorem sive sensualitatem, & titillationes libidinis, ut Scholastici & Pontificij explicant, qvod & Photinianis arridet, sed totum hominem corpore & animâ corruptum, cum omnibus potentiis, viribus & affectibus; imprimis verò partes animæ principes, mentem & voluntatem, vitiatas. Qvod contra Sophistas patet (1.) ex eo, qvod carni huic à Paulo tribuatur, ut jamjam monuimus τὸ Φεύγοντα Roman. VIII. 7. (qvod generalius est & notat id, qvod homo vel mente concipere, vel voluntate expedire potest) & vñs Col. II. 18. qvæ verba superiores facultates animæ describunt. (2.) Ex eo, qvod diserte Apostolus inter corruptissimas hominis partes mentem recenset Rom. I. 28. I. Tim. VI. 5. II. Tim. III. 8. Tit. I. 15. & Διάβολον s. cogitationes Eph.

Eph. II. 3. unde cap. IV. 23. docet, renovationem ad Spiritum usque mentis pertinere; jam renovatio presupponit maculam, quae sit in intellectu & mente, si haec juxta Paulum est renovanda. (3.) Ex eo, quod Paulus v. 19. Carni tribuit fructus, qui non sunt appetitus tantum, sed & superiorum facultatum, ut Idololatriam &c.

§. IV. Nec [2] hanc vocem intenditur ab Apostolo *humana natura*, sive *ipsa substantia hominis mala*, quae substantia est, in quam sententiam id arripiunt (1) *Manichei & Complices ejus sectæ*, somniantes, ex duabus & diversis substantiis hominem omnino constare, unam bonam quae à DEO, nempe Spiritu, alteram malam quae à Diabolo, nempe Carnem; unde hoc dictum huic rei argumento & testimonio adferunt, sed hic nullum inveniunt sui erroris patrocinium, qui sanè absurdior est, quam ut ullam refutatione in Scholis Christianorum indigeat: non enim loquitur Paulus de substantia hominis, quam tali, sed demonstrat, quid vitii huic substantiae adhaerent. Proinde hujus erroris absurditas propriam impietatem ultrò concidit, quam verbo DEI in os contradicit, & analogiam fidei evertit. (2) *Flaciani*, qui non multum à prioribus decedunt, sed velis plenis *Manicheismus* ab oreu in Ecclesiam revocant, statuendo: *Carnem quae concupiscit adversus Spiritum, vel peccatum, esse ipsam hominis substantiam*; Ut taceam, hoc dogma præcipuos Symboli Apostolici articulos everte-re, uti satis superq; in Form. Cone. demonstratur: Hoc saltem moneo in præsenti: Paulum (si non h. l., tamen alibi, & quidem Rom. V. II. 17. 18.) accuratè distingvere ipsam Carnem, s. substantiam hominis, à Concupiscentiâ vitiosâ & corruptâ, Carni adhærente. Quo sensu semper id in oppositione cum Spiritu, etiam h. l. est intelligendum. Quod suo suffragio testatur B. *Augustinus lib. de nat. & grat. c. 3.* cum inquit; *Non Carnis substantia, sed carnalia vita accusantur*. Cui calculum addit *Megalander noster*, cum in l. de servo arbit. p. 235. talem ponit regulam: *Id observabis in Scripturis, ubique de Carne agitur per antirhesin ad Spiritum, ibi ferè per Carnem intelligas omnia contraria Spiritus: Ubi vero absolute tractatur, ibi conditionem naturamq; corporalem significare scias. & super Magnif. Divisio hominis, inquit, in Carnem & Spiritum, non est nature: singula enim partes essentiales hominis dici possunt, aut Spiritus aut Carn.*

B

Ex 24

*Ex eâ parte, quâ regenerantur sunt, Spiritus: ex alterâ vero parte, quâ ad-
buc delectantur concupiscentiis carnalibus, Caro sunt. Et in hâc sen-
tentia Caro dicitur concupiscere, non quatenus humana natura
aut substantia est, sed quatenus peccato est corrupta. Nec valet
hîc quicquam exceptio, Paulum b.l. non distingvere inter Carnem & ejus
concupiscentiam, sed simpliciter dicere, Carnem concupiscere, quod arguit,
peccatum & carnem esse idem. Nam huic reponimus: Vocem
hanc concretam lèpissimè notare tum substantiam, tum substantiæ
vetustatem: tum subjectum, tum subjecto adhærens vitium: vel
quod idem, probè distingvendum est inter peccatum corrumpens &
subjectum corruptum, hoc cum Scripturâ S. recte confitemur Carn-
em esse. Urgemus etiam oppositionem Carnis & Spiritus: u-
trumque Flacianis aliquid essentialis est, ex quo sequitur, in uno ho-
mîne duas contrarias esse essentias; quod (ut olet Manichæsum,
sic) ex simple & uno homine facit multiplicem, & per conse-
quens monstrum.*

§. V. Nec [3] intelligitur per Carnem h. I. carne illa corporis
moles, quæ corpus dicitur, ut volunt Anabaptistæ, qui in descriptio-
ne hujus pugnæ renatorum, per carnem intelligunt solum corpus,
per Spiritum autem animam. Apostolus enim hominem (non in
membra sua integrantia, aut partes essentiales hîc dividit, sed)
totum hominem intelligit, quem secundum renovationem, Spi-
ritum, secundum id, quod in homine vitiosum est, Carnem appelle-
rat. Et finge tibi sensum hunc esse, & separa in hoc negotio ani-
mam à corpore, videberis absonus; non enim Caro concupiscit
nisi per animam vel Spiritum, quo vivit, & seposita animâ corpus
mortua res est; intelligito ergo totum hominem, maximè ipsam
animam.

§. VI. Restat, ut, remotis falsis hujus vocis interpretatio-
nibus, quæ scopo Paulino minimè congruunt, tandem in verum
& genuinum ejus sensum inquiramus; Dicimus ergo, per Carnem
h. I. nihil aliud intelligi, quam reliquias vitiositatis naturalis; vel il-
lud in homine principium, quod regenerationis gratiæ opponitur.
verbo: *Caro est habitualis & vitiosa qualitas naturæ, hominis animo*
& sensibus inherens, quo sensu venit Gen. VI. 3. Joh. I. 13. Rom. VII.

18. 25.

18. 25. II. Cor. XII. 7. Dicitur verò hæc vitiosa qualitas *Caro*, more Scripturæ freqventissimo, per metonymiam subjecti, & quidem, cum subjectum recipiens pro adjuncto ponitur. Qvod vult usitata Theologorum regula: *Quoties Caro per contrariam oppositionem comparatur cum Spiritu, tunc Spiritus nomen metonymicè pro regenerationis gratiâ, cuius causa efficiens est Spiritus S.*; *Caro vero pro eo, qvod in nobis vitiosum est, accipitur, videlicet pro pronâ illâ ac proclivi carnis & peccati affectione ad concupiscentias pravas.* Nuncupatur autem caro, qvia (1) peccatum per carnem propagatur. (2) per actiones carnales se potissimum exserit, (3) tantum carnalia curat & (4) in carne profundissimè radicatur, ut nisi per totalem destructionem expelli, suaq; sede moveri nequeat.

§. VII. Sapissimè etiam *Caro* aliis insignitur nominibus, & ut concretum resolvitur in abstractum. Sententia quidem obscurior videtur, cum concreta pro abstractis ponuntur, more Scripturæ, qvæ sapissimè substantiva pro adjectivis ponit, & Carnem dicit, qvod simplicius carnale diceretur, sed ex collatione aliorum locorum clarior elucescit: Paulus enim utroque modo loquitur, qvod hîc carnem, alibi vocat carnalem, qvod hîc Spiritum, alibi spiritualem hominem, Rom. VII. 14. I. Cor. II. 15. Gal. VI. 1. Dicitur verò alias [1] homo carnalis vel ex toto vel ex parte, posterioris regenitum tribuitur, prius non item. Dicitur autem homo regenitus carnalis tum ob carnalem conceptionem, Psalm. LI. 7. nativitatem carnalem Joh. III. 6. & carnales molestias & reliquias Gal. V. 24. Rom. VII. 18. tum maximè in oppositione ad futuram in vitâ aeternâ spiritualitatem. Dicitur [2] homo exterior Rom. VII. 22. Eph. III. 16. II. Cor. I. V. 16. non in sensu Philosophico, in quo internus est pars *λογικὴ*, externus pars *άλογος*: nec in sensu Arminiano, quo homo internus est anima, ut subjectum regenerationis; sed theologicò & biblico, quo externus homo est homo brutus, carnalis, peccato infectus. Hic notabis: qvod externus vocetur, non qvod tantum externa membra occupet (residet enim etiam, & quidem potissimum in intellectu s. mente, voluntate & affectibus, ut §. 3. probatum dedimus) sed qvod in externis se potissimum prodat, & ad externa duntaxat & mundana curanda impellat. Huic opponitur

internus, i. e. spiritualis, regenitus & renovatus, qvi aliâ dicitur anima I. Pet. II. ii. mens Rom. VII. 23. sicut *externus* hic & alibi caro. Dicitur [3] *homo Vetus*, qvod non iplam substantiam, sed ejusdem hominis diversas qualitates & conditiones notat: *Vetus* qvidem *homo* congenitum peccatum & malam concupiscentiam Rom. VI. 6. Eph. IV. 22. &c. *Novus* verò homo statum & conditionem novæ creaturæ, de qua II. Cor. V. 17. sive renovationis Spiritus S. Eph. IV. 24. Confer Rom. VII. 6. Dicitur [4] *lex membrorum* s. peccati Rom. VII. 23. qvia ut lex mentis s. Spiritus dicit, non concupiscito, sic lex peccati dicit, concupiscito. Sunt & plura nomina, qvibus caro describitur, qvæ huc adscribere instituti ratio non permittit.

§. VIII. *Em̄p̄uſeū*. Per τὸ Εμ̄π̄uſeū non intelligitur aliud concupiscere, qvam, qvod nunc post lapsum in homine vigeat; non verò tale, qvod consistit in naturali appetitu, ab ipsâ creatione indito, qvi inculpabilis est, qvam diu se verbo DEI regi patitur. Unde est, qvod hoc vocabulum Εμ̄пuſeū sit medium, & commune tam bona qvam male inclinationi voluntatis. Quare Apostolus non tantum carnem dicit concupiscere contra Spiritum, sed & Spiritum' contra carnem. Conf. Luc. XXII. 15. I. Timoth. III. 1.

§. IX. Est verò h. l. respectu carnis Εμ̄пuſeū (nihil aliud, qvam) interiori cordis affectu, desiderio pravo & inclinatione inordinata aliquid appetere vel desiderare. Non autem tantum designat purum actum, sed unâ habituali qualitatatem malam inherentem, cum actu vitioso conjunctam: freqvens enim est *Hebraismus* Scripturæ S., verbis activis, non actus modo, sed habitus & inherentes qualitates notari. Unde Canon: *Verbum activum quandoque non negat crederet, sed negat esse intelligendum; sive non effectivè semper, sed quandoque habitualiter significat;* exemplum extat Rom. III. 12. 23. & h. l. cum de Carne dicitur concupiscere. Plura vide apud Excell. Dr. D. Glassium Grammat. S. lib. III. pag. 289. Est igitur sensus: Carnem pravam & peccato adsvetam habitualiter aliud appetere, qvam Spiritum; dum semper, qvæ carnis sunt, animo voluntat, & nihil prouersus, qvid DEI sit, mente versat, sed

sat, sed carnalia summa ope appetit, ita ut animum prorsus adjicit ei, quod est Spiritui, scilicet piis à Spiritu S. in homine excitatis mortibus contrarium.

§. X. Huic phrasi respondent aliae in sacro Codice, quae hostilem aliquam oppositionem inferunt, & desumptae sunt à re militari, ut: *repugnare legi mentis Róm. VII. 23. militare in membris Jacob. IV. 1. militare adversus animam I. Pet. II. 11.* Hinc fit, ut sacerdos carnii peccatrici, per ~~terram maritimes~~, corpus, persona & actiones in Scripturā S. tribuantur. Vid. Gen. IV. 7. Rom. VI. 6. praesertim Rom. VII. ubi peccatum instar servi tyranni introducitur, qui miserum peccatorem ære coemptum detineat, & nunquam in hac vitâ dimittat v. 14. sed in eo usque habitet, versic. 17. 18. 20. & Spiritui, scilicet gratia regenerationis, instar perduellis obfistat & contramilitet, hominemque, etiam renatum captivum reddat & retineat v. 23. quod (non de dominio & victoriâ peccati intelligendum, contrarium enim de renatis pronunciatur cap. VI. 32. 14. &c. sed) de inevitabili repugnantia adversus Spiritum, quae in carne semper manet, dum vivit homo regenitus in hac mortalitate. v. 24. Haec & similes phrases, à re militari petitæ, ansam quidem subministrant h. l. totam armaturam sacram extruendi, & bellum hoc civile, similitudine sumptuosa à Ducibus, militibus, aliisque connexis depingendi, sed ne nimis ex crescere disputatio, quae brevis esse debet, hoc labore supersedemus, in quo jam pridem alii magni nominis viri sudarunt, ut *Tungerlar.* in Analyse Log. Epist. Dom. XIV. post Trin. M. Hartman. Creidius Postil. Epist. Dom. XIV. post Trin. quos, si quid hanc de re legere aves, adire poteris.

§. XI. Liqvet vero ex illis phrasibus, quid propriè h. l. concupiscentia designet, scilicet naturam vitiosam aliquid appetere; & quid mala concupiscentia, quae, ut q. s. positiva quædam qualitas, privationem imaginis DEI est subsecuta, possit & operetur. Ex quo meridie clarissima elucescit, Concupiscentiam hanc Originalem, habitu aliter & inhaesivè, ab ipso conceptionis momento, nobis competentem. Vid. Psalm. LI. 7. LVIII. 4. Esa. XLVIII. 8. Joh. III. 6. vere & propriè esse peccatum, in ipsis etiam regenitis; quod contra Pontificios probè est observandum. Nolo prolixè argumenta & rati-

ones ex definitione peccati, ex nomine, ab effectibus item & propriis accidentibus desumptas, pro nostrâ sententiâ stabiendi adferre, qvæ fusi apud B. Gerhard. Eckard. Brochman. & alios legi possunt. Hoc tantum urgeo in præsenti argumentum, ex nostro textu exstructum: Si concupiscentia contrariatur vel repugnat Spiritui, maximè est peccatum, quid enim hæc contrariatio aliud est, qvam alienatio & aversio à D E O? quid verò peccatum est, si hæc non est? Atqvi verum prius E. & post. Deinde: ut Concupiscentia Spiritus est opus bonum legiq; conforme, sic Concupiscentia Carnis, qvæ in renatis est & contrariatur Concupiscentiæ Spiritus, est opus malum, legiq; difforme, verbo: est peccatum, qvippe contrariorum contraria sunt attributa, & inter opposita immediata, qvalia sunt bonum & malum, *europia* & *auropia*, sanctitas & peccatum, nullum poteris excogitare vel dare tertium. Ceterum: propter qvid aliquid tale est, id ipsum magis tale est, jam peccata reliqua propter malam Concupiscentiam, ut matrem, sunt peccata. E. multò magis ipsa Concupiscentia peccatum erit.

§. XII. *Kan̄ r̄s m̄duḡl̄o.* Per Spiritum non intelligitur recta ratio, post lapsum reliqua, vel rudera & reliquia rectæ rationis, que pugnant cum inordinato appetitu, ut volunt Pontificij & Photinianni. Licet qvidem interdum denotet mentem, qvæ est sedes rationis, sive intelligentiam & rationem, qvæ est facultas animæ, & ipsam animam, tamen h. l. non idem. Nam [1] Paulus agit de Regenitis (cum & in irregenitis & impiis illa pugna rationis & appetitus locum habeat) in qvibus ipse Spiritus S. titillationibus carnis resistit, easq; prohibet. Vid. Com. I. §. 3. [2] Antecedentia hanc glossam non admittunt, ubi admonet, ut Spiritu ducantur; qvod de Spiritus S. ductu intelligendum esse, qvis non videt? quoties enim mens quoque de regulâ non aberrat, & contra eundem Spiritum concupiscit? [3] Consequentia destruunt, ubi Paulus rezenset fructus Spiritus, qvi, qvod sint fructus mentis & rationis, qvis ineptè vult adserere, nec ipsi Pontificii hoc statuunt, v. c. dic fidem esse fructum rationis; absconum! [4] Qvod & loca parallela evincunt Rom. VII. 6. cap. VIII. i. 4. 5. Epist. Jud. versic. 19.

§. XIII.

§. XIII. Intelliguntur verò per vocem *Spiritus metonymia*^{is} salutares motus & *ένεργεια* Spiritus Sancti in homine renato. Est enim hæc metonymia causæ efficientis, Scripturæ S. admodum familiaris, cum persona efficiens pro re effecta ponitur. Conf. Joh. II I. 6. ubi eandem significationem obtinet, quod ex oppositione cum Carne patet, & *ένεργησις* Spiritus S., sive donum regenerationis sonat; vel quod unum & idem est, ipse homo regenitus intelligitur Matth. XXVI. 41. Marc. XIV. 38. qui propterea à Paulo spiritualis appellatur. I. Cor. II. 15 quia à Spiritu S. renovatus & ad imaginem DEI reformatus est, quantum hæc naturæ infirmitas permittit. Sæpè etiam aliis nominibus insignitur ut sunt: *homo novus, interior, lex mentis &c.* Vid. §. 7.

§. XIV. Επιφυὲς τὸ πόλυ. Hujus φεύσεω concupiscere adversus aliquem, emphasis optimè versione suâ Tremellius exprimit, dum vertit: *Concupisit id, quod oppositum est Spiritui, magis respiciens sensum quam verba.* Ethoc modo videatur, quandam qf. Ellipsis & antecedentis & relativi simul constitutendam esse, sc. horum verborum: *τοῦτο, ἀτίπι, quæ stylo Scripturæ non est ignota, ut probat pluribus Excell. Dn. D. Glassius Gram. S. lib. 3. p. 215.* Qvò respicit B. Hunnius comment. h. l. Etenim Caro, inquit, concupiscit adversus Spiritum, b.e. corrupta natura hominis appetit & ad ea fertur, quæ Spiritui sunt aduersa & inimica; E converso Spiritus militat adversus carnem, inclinans suâ divinâ gubernatione & flectens hominem ad ea, quæ carni sunt admodum ingratæ & injunctæ.

§. XV. Τὸ δὲ πόλυ. Alterum nunc hujus luctæ Ducem ponit, cum dixerat, carnem esse in homine renato rebellem Spiritui, rursum & Spiritus actum describit, eundem etiam contra carnem concupiscere, i. e. ea lavadere, quæ carni sunt amara, & resistere pravis carnis motibus. Ethoc denotat οὐδιφυὲς, cum Spiritui tribuitur (non appetitum cum vitiositate conjunctum, sed) desiderium & appetitum, verbo & regulæ DEI conformem; cum Spiritus appetat sacra, bona, carni contraria, ut sic carnis opera destruat: & hic est spiritualis appetitus, qui tanquam bonus in homine

mīne novo commendatur I. Cor XIV. 1. & est opus Spiritus S., quo
pravis carnis motibus resistit, easq; impedit, aliud svadendo, qvod
exemplō illustrabitur & Com. 3. §. 2. clarius proponetur. Exem-
plum: Tempore famis & inopiæ, confugit homo pius precibus
suis ad D E U M, ejusq; opem propter Christum implorat, contra
hanc confidentiam & motum Spiritus, caro *πρηγματι*, resistit
suggerendo, qvid invocas DEUM? quid si non eset DEUS? qvid
si eset impotens, qvi te sedulò implorantem non exaudiret? qvid
si ejus promissiones, qvibus confidis, sint vanæ, & indignus sis ex-
auditione: hæc & similia caro. Sed ibi Spiritus *πρηγματι* contra
carnem & ejus suggestiones, illiq; fortiter suis motibus resistit,
suggerendo ex Sacra Scripturā, esse DEUM, eumq; serio invocan-
tes exaudire, aut illa qvæ petimus, aut his potiora largiri, nosse
causam dilationis, & sic deinceps.

S. XVI. Ταῦτα δὲ τοιαῦτα ἀλλήλοις. Hic, Atticorum
more, neutro plurali additur verbum singulare: Addit autem jam
communem causam, unde hæc lucta oriatur, sc. ex oppositione.
Dicitur verò oppositum alicui rei esse id, qvod est contrarium cum
repugnantiâ, vel qvod ipsi adversatur. Sic damnatur qvicq; vid
sanæ doctrinæ oppositum est I. Tim. I. 10. & hic opposita inter se
esse, est, sibi invicem adversari cum pugnâ; hinc est, qvod
ἀντίστασις dicatur, qvicq; vid adversarii vices agit, hostis est &
obsistit, ut conatum alterius impedit. Conf. Luc. XIII. 17. cap.
XXI. 15. sic h. l. dicuntur opposita *ἀντίστασις* invicem, i. e. alter al-
teri adversatur, & invicem obsistunt, ut duo hostiles exercitus ex
adverso castra ponunt; caro opposita est Spiritui, & ejus conatum
sæpè invertit, qvo ministris perfectos reddat regenitos: Contra:
Spiritus carni est oppositus & obsistit, ne prorsus regenitos suis
pravis motibus & affectibus seducat.

S. XVII. ἵνα μὴ αὐτὸν θέλητε, Ταῦτα ποιεῖτε. His verbis
exprimit finem hujus luctæ, qvam experientur renati. Potest au-
tem illorm duplex esse sensus, alter, ut qvæ volueritis sc. impellente
Spiritu, bona, non faciatis, i. e. facere non possitis reluctante car-
ne; alter, ut qvæ volueritis secundum carnem, sc. peccata, non
mox

mox effectu & actione exprimatis, sed potius Spiritus S. ductum seqvamini, eundemq; vitæ & omnium actionum vestrarum Du-cem & Gubernatorem esse patiamini. Prior Apostoli scopo magis respondet. Colligit Lutherus ex Auguſt. distinctionem, inter facere & perficere, ut facere idem sit, quod Concupiscentias habere, titillari & movere ab illis, sed perficere sit idem, ac iisdem consentire & eas implere, licet Apostolus hanc distinctionem non semper observarit; huic enim facere idem est qvod perficere (non tantum h. l. sed) & Rom. VII. 15. qvod volo bonum non facio i. e. non perficio; videmus tamen observatam in illo, cum dicit, qvod odi malum facio, i. e. non perficio sed sentio, vel habitans in me peccatum operatur.

COMMA TERTIUM Descriptionem extextus Exegesi & Sacra Scriptura erutam cum ejus uberiori explicatione continens.

ΣΑΡΚΟΠΝΕΥΜΑΤΟΜΑΧΙΑ

S. I. Salutatur hæc pugna σαρκοπνευμαχία s. lucta Carnis & Spiritus ab objectis, qvæ perpetuo invicem colluctantur, sibiq; adversantur. Appellamus verò πόλεμον vel bellum, qvia ipsa Scriptura S. ejusmodi utitur vocibus, qvæ bellicas actiones inferunt; ut: cum dicitur, qvod lex membrorum belligeret in renatis adversus legem mentis Rom. VII. 23. qvod voluptates militent in membris nostris Jacob. IV. i. & I. Pet. II. ii. ubi carnales concupiscentia dicuntur σπάσθειν militare adversus animam, i. e. in exitium & damnationem omne studium, omnemq; vim conferre, ut milites in exitium hostium. Hinc bellum domesticum, pugna intestina potest vocari. Augustinus emphaticè vocat bellum civile, qvia intrinsecus in hominis corpore & animâ perficitur.

EST ACTIO CONCUPISCIBILIS,

S. II. Describimus hanc luctam per actionem præviâ Scripturâ, qvæ illam verbis actionem inferentibus delineat. Ut: *concupiscere* Gal. V. 17. *militare* Jacob. IV. i. *resistere* &c. consistit autem

C

hæc

hæc actio ex parte carnis, in aliena concupiscendo, Spiritui suis motibus rebellando, jucunda & mundana svadendo, carnalia ostendendo, indebita cogitando, inordinata perpetrando, & hoc modo operationem Spiritus S. impediendo & hujusmodi aliis. Ex parte Spiritus, in resistendo, pravos motus suppressendo, spirituallia demonstrando, gratiam illa cogitandi & efficiendi subministrando, fructum carnis perniciosum & Spiritus utilissimum exaggerando, ne agat homo qvæ carnis sunt inhibendo, sed qvæ DEI sunt, docendo, & sic carnis indomitæ potentiam cottidie enervando, ejusq; inordinatum conamen destruendo & ejusmodi actionibus aliis. Exemplum harum actionum tam Carnis qvam Spiritus pulcherrimum & vivum in Josepho cernimus. Lascivitus à lasciente *Egyptiacā*, carnis motus & stimulations varias expertus est; occasionem datam ne propulsset, sed cum Domini uxore ad lubitum concubat; exaggeravit caro honorem & delectationem concubitum futurum comitantem & sic deinceps. Verum hunc non potuit mundi hujus illecebra mutare, non ulla corruptela mundanæ voluptatis evertere; qui tentatus non decidit, appetitus non appetivit, postremò adulterinâ qvâdam *Synagogæ* manu ueste corporis apprehensus, carnem exxit, ut *Ambrosius* loquitur. Quid verò causæ subesse putas? qvod tanta ipsi fuerit fortitudo? sanè non carnales & naturales vires hanc excitârunt, qvæ lubentissimè pleno impetu in scelus præcipites se dedissent. Unde igitur? à Spiritu S. qui ut verus & essentialis DEUS gratiösè ipsi aderat. Vid. Gen. XXXIX. 2. 21. & carnis impetum declinabat urgendo & exaggerando [1] *perfidiam*, qvæ Dominum, sibi apprimè farentem, circumvenire erat religio v. 8. 9. [2] *Peccatum ipsum*, qvod magnum malum & ingens peccatum in DEUM vocat v. 9. & perpendit, in DEUM peccare esse mortale malum, ira DEI, morte, & flammis Gehennæ dignum. Plura exempla possent colligi, sed cuivis renato cottidiana experientia plus satis hæc omnia declarabit.

§. III. Dicitur autem hæc actio *concupisibilis* à concupiscentiâ, qvam semper adjunctam habet. Sed hæc alia est respectu Carnis, alia respectu Spiritus: *Illa mala*, *hæc bona*. *Illa est vel*

vel actualis, qvæ tursus est *vel mortalis*, qvam comitatur consensus delectatio & prosecutio ejus, ad quod Caro extimulat; *vel venialis*, qvæ notat pravas inclinationes, primosq; animi motus ad vitia sollicitantes, per Spiritum tamen suppressos, neque in actum perductos. *Vel Originalis*, qvæ est ipsum naturæ vitium ex Parentibus tractum, radix vitiosa & habitualis corruptio, intellectum, voluntatem, omnesq; vires reliquias quam fœdissime depravans. Uno nomine nuncupatur *Præiugia*, prava Concupiscentia, qvæ complectitur omnes actiones malas s. ex mentis cœcitate s. voluntatis aversione, s. contumaciâ cordis, s. repugnantiâ omnium virium propullent. *Hæc* (nempe bona Spiritus) est bonum desiderium & appetitus, quo Spiritus appetit ea, qvæ Carni contraria, & hæc est renatorum propria; alias salutatur spiritualis, sic dicta [1] ab Autore s. causa efficiente Spiritu S. qui eam excitat & in renatibus efficit, [2] ab objectis, secundum qvæ versatur, nempe spiritualia, qvæ Spiritus non potest non appetere. [3] à modo, qvia fit (non naturaliter, non carnaliter, sed) spiritualiter.

EX PRIMI HOMINIS LAPSU & HUIC OPPOSITA REGENERATIONIS GRATIA ORTA,

S. IV. Describimus hic causam efficientem hujus certaminis s. terminum à Qvo, nempe lapsum primi hominis, & regenerationis gratiam; ex illo carnis adversus Spiritum, ex hæc Spiritus adversus Carnem lucta, tanquam immediatum consequens, oritur. Et ille & hæc est prima causa hujus civilis belli, nam ex illo solo omnis Carnis avaritia & inordinatio fluit Gen. VIII. 21. ubi tamen Diabolus, ejusq; seductio non est excludenda, sed potius præsupponenda, qvæ tranquillas hominis vires per originalem labem reddidit adeò rebelles, ut non possint non reluctari: Ex hæc solâ primitias Spiritus S. ejusq; gratiam carni resistentem accipimus. Secunda est vel impellens, propter quam bellum suscipitur & geritur, eaq; est vel justa Spiritui S. propria, ut defendat nos adversus illum, qui nobis bellum infert, & est misericordia DEI summa, qvæ nobis Spiritum, ad resistendum Carni, donat, ne proflatus obruamur.

obruamur. Renati enim faciles sumus ad seducendum, debiles ad operandum, fragiles ad resistendum; si discernere volumus inter bonum & malum, decipimur: si tentamus facere bonum deficitus; si conanmur resistere malo, dejicimur & superamur, nisi assidua ad sit gratia DEI, quâ stabilitamur, ut eleganter Bernhard. in serm. de Advent. Domini, concludit. aut *injusta* & *temeraria* Carnis, quæ bellum movet & gerit ad acqvirendam delectationem, vel nullâ lacepsita injuriâ, sola animi præsumptione, ut suis Concupiscentiis possit fruisci; vel *intermedia* & sunt vel ea per quæ bellum geritur, ut perversa habitualis & vitiosa Qualitas, & ex opposito Spiritus S. *exegyptus*; vel res quæ bello gerendo inserviunt, ut sunt hominis anima & corpus cum omnibus facultatibus, quibus ex suâ parte Caro, ex suâ Spiritus utitur.

§. V. Omnes causæ hujus luctæ, hactenus enumeratae, nituntur primâ, quæ est vel regenerationis gratia, quæ Sp. S. nobis donat, vel lapsus hominis, ex quo omnis rebellio virium promanat. Crassus igitur est error *Pontificiorum* & *Photinianorum*, qui statuant, hanc luctam jam dum ante lapsum in Adamo extitisse, utpote cuius natura cum rebellione virium esset condita, contra Gen. I. v. ult. cap. II. 25. Ecclesiast. VII. 30. ex primo enim elucet, *omnia fuisse bona*, rebellio verò est res mala. Non urgeo, Hos in hoc *Calvinianorum* vestigia premere, & DEUM peccati Autorem constituere, non enim hæc rebellio à materiâ, quæ tantum erat principium passivum, idq; bonum, à DEO quoque productum, sed ab animâ procederet, quam Deus immediate homini inspiravit. Ex secundo: non erubuisse primos homines, ex quo conseqvitur, concupiscentiæ & appetitus inordinationem iis non fuisse concretam, quippe quæ pudoris causa est, ut patet ex Gen. III. 6. 7. Ex tertio liquet, hominem fuisse rectum sine omni curvitate, virium rebellione & facultatum dissensione, quæ est obliquitas, non rectitudo. Cæterum natura nondum erat corrupta, ex quâ omnis inordinatio & rebellio fluit, sed erat perfecta, in omnibus aduentiens Spiritui S. Erat enim conditus homo ad imaginem DEI, quæ consistit in vera justitia & sanctitate Eph. IV. 24. & erant in statu innocentia omnes vires & facultates tranquillæ & optimè dispositæ,

sitæ, vigebat in mente cognitio D E I, in voluntate justitia, sanctitas & obediendi studium, in appetitu agnitoria & cum ratione conformitas. Unde igitur & ubi dissensio & rebellio? Ex lapsu & corruptione profluxit. Hinc statu corruptionis posito, ignorantia & cœcitas in mente, aversio & ad malum inclinatio in voluntate, contumacia & reluctandi studium in appetitu subito extitit.

§. VI. Hactenus recensitæ & similes causæ, quæ alioquin concurrunt, possunt dividi tum in *internas*, tum in *externas*. *Internæ* sunt (1) naturæ corruptio, (2) animi infirmitas, (3) fidei imbecillitas, (4) judicii pravitas, (5) nonnunquam destinata malitia. *Externæ* (1) Diaboli suggestiones & tentationes, (2) prava hominum exempla, verba, blandimenta, (3) objecta in sensu incurrenrentia & ad sui abusum pellicentia, (4) otium & mollities peccatorum fomenta. *Observabis*: has carnis respectu dici causas hujus luctæ. Respectu enim Spiritus sunt objecta sacra, interna & spiritualia &c.

QVA CARO & SPIRITUS SPIRITALITER.

§. VII. Spiritualiter dicimus hanc luctam peragi, ad differentiam illius, quæ inter rationem & appetitum naturaliter existit, etiam in Ethniciis & impiis, in magnis & detestandis peccatis, à quibus ipsa natura abhorret. Hæc verò & spiritualis, sic dicta non tantum ab objecto s. rebus secundum quas versatur, nempe sacras & spirituales, de quibus Spiritus contra carnem bellum movet & caro resistit, aversans hæc & mundana amplectens. Sed & à modo, quia hæc (non naturali, sed) plane singulari & spirituali modo peragitur à Spiritu contra Carnem.

ET PERPETUO.

§. VIII. Jam presupponimus, hanc luctam locum habere in homine renato, uti §. X. declarabitur. Nam eâ nunquam ille est immunis, sed per totum vitæ curriculum ei certandum est Job. VII. I. Licet enim per CHRISTI meritum habeat remissionem peccatorum, non habet tamen totalem ablationem; reatus tol-

litur, radix manet; aufertur peccatum, non ut non sit, sed ut non impunetur, August., nam vetus homo & reliquiae carnis semper renatis adhaerent cum inimicitia adversus DEUM; & multas calamitates exinde sentientes ingemiscunt toto vita sua tempore, ac pugnant cum ea, & cum vident, se non posse eam nisi morte abjecere, cupiunt dissolvi & cum CHRISTO esse. Rom. VII.

§. IX. Non verò hic, cum dicimus luctam hanc perpetuam, ad castra Calvinianorum abimus, qui hinc adstruere annituntur: Renatos non posse amittere i. excutere gratiam & Spiritum S. Si enim est perpetua, dicunt, lucta in renatis, utique perpetuo manent in gratia DEI & Spiritum S. retinent. Qvod contra quām plurima Scripturæ testimonia & exempla audent adserere. Nihil verò patrocinii hoc argumentum fovet; si distingvimus [1] inter renatum stantem, qui talis est & manet, & inter renatum cessantem, à termino tamen à Qvo sic dictum, in illo est perpetua, in hoc non item: Ille enim quādū talis est semper motibus avōnis, utpote ad malum temptationi, inescationi, peccati conceptioni &c. qvorum meminit Jacob cap. I. 14. 15. per Spiritus gratiam repugnat, nec cupiditatibus frēna laxat, sicuti Joseph resistebat libidini, expeditus à Conjugē Domini sui. Hic verò scil. renatus cessans, ulterius progressus peccatum mente conceptum perficit, eiq; adsentitur, Spiritum S. excutit, & à lucta cessat. Qvod Excellent. Dn. D. Eckardus in tractat. pecul. de penit. his verbis describit. Initio quidem, inquit, quando hominis voluntas per concupiscentia morum & suggestionem attentatur, illi suggestioni homo renatus per Spiritum reluctatur: post autem illecebris hujus mundi interior concupiscentia magis magisq; inescatur, & affectuum suavibus objectis bonisq; apparentibus irritorum vehementiā voluntas ἐγέλχεται & in transversum rapitur, & tunc lucta paulatim fit remissor & paenitentia sensim labefactatur, donec tandem inflammatā à Diabolo concupiscentia voluntatem ad ipsam mali machinationem promoveat, quod ubi sit, paenitentia obruitur, lucta cessat & tandem peccatum ipsum consummatur, post quod reliquum nihil est, nisi mors & condemnatio. Hactenus Eckardus. Qui & multa d. l. producit argumenta pro cessatione pugnæ militantia. Nos exempli g. in proscenium producimus Davidem Adulterum & hemicidam

cidam voluntarium; Salomonem Idololatram, Petrum Abnegatorem CHRISTI. Hi renati, in initio quidem temptationis procul dubio luctam Carnis & Spiritus fenserunt, ita tamen, ut non diu durarit hoc certamen, Spiritu à carne devicto, postquam ergo in progressu & complemento peccati, in illâ pugna Spiritu subacto caro dominium obtinuit, & hi cessarunt esse renati, ceu qui opera carnis manifesta & perfecta volentes scientes perpetrârunt, cessavit Carnis & Spiritus lucta. Nam pugna suum finem, cum jacet hostis, habet, & sic amiserunt gratiam & Spiritum S. [2] Distinguimus inter renatum & Electum, in illo secundum carnem vivente nec pœnitentiam agente, non esse luctam perpetuam, sed totaliter & finaliter cessare & per conseqvens deficere, gratiam & Spiritum S. amitti posse, ut Judas proditor, & ~~πρεσβυτης~~ amittunt Luc. VIII. 13 præviâ Scripturâ adserimus; quam primum enim renatus opera Carnis Spiritui opposita toto animo & pleno voluntatis consensu committit, tum Spiritus gratosâ suâ inhabitatione hominem deserit, *procul enim Dominus est ab impiis sc. vitiosæ carnis ductum seqventibus Prov. XV. 29.* & nisi veram tempore gratia agat pœnitentiam, nunquam revertitur. In hoc (electo) cessare quidem ad tempus totaliter, ut in Davide, Salomone & Petro jam perfeximus, & in aliis electis videre est, finaliter interim nunquam cessare, & per conseq. illos finaliter non posse excidere gratia, quia ~~πρεσβυτης~~ DEI infallibilis est Rom. XI. 2. Conf. II. Tim. II. 19. cum eadem adfirmamus. [3] Est igitur lucta perpetua in homine Renato & electo (non actualiter, ut semper actu exerceatur: contrarium enim ex dictis liquido satis constat & experientia testatur, ubi ancipiti prælio certari videmus, atque illum, qui hodie fortiter pugnat per Spiritus gratiam contra Carnis motus, cras in hac luctâ succumbere: sed) finaliter, ad ultimum vitæ terminum, ubi per fidem constantem mortificatâ & suppressâ carne Spiritus victoriam obtinet.

IN HOMINE PIO & RENATO TOTO.

§. X. *Subjectum receptivum, in quo fiat hæc lucta est homo,*
non

non autem qvivis, sed pius & renatus, nam in impio & irregenito non cernitur, qvippe qvi prorsus est dominio peccati obrutus, caretq; Spiritus gratiosâ inhabitatione. Est verò hoc subiectum aliud Qvod, aliud Qvo. Subiectum Qvod est homo partim convertendus, partim conversus; per convertendum intelligimus (non qvemvis peccatorem qvi aliquando ad DEUM per verbum convertendus, sed) eum qvi jam est in ipso conversionis actu: in hoc maximè hæc pugna perspici potest secundum conversionis gradus distinctos. [1] qvidem, cum homo audire debet verbum exterius, non adeò contrariatur caro, sed verbo etiam cum attentione qvâdam & studio discendi aures auscultantes interdum præbet, concipiendum in dë fidem historicam, qvòd est in irregeniti potestate, uti videre est in Herode Marc. VI. 20. Felice Act. 24. 25. &c. habet tamen potentiam istam, ut auditu verbo possit resistere, & gratia verbo annexæ reluctari. [2] Cum debet cognoscere & intelligere ea quæ sunt Spiritus DEI, caro jam incipit obniti & recalcitrare huic motui Spiritus S., dum ob defectum virium langvida est & tristis, potest tamen, nisi carnalibus & mundanis rebus distractus sit animus, ulteriore considerationem admittere, qvam indesinenter Spiritus S. urget. [3] Cum homo debet assensu & fiduciâ verbum predicatum, ut verbum ipsius DEI apprehendere, caro jam aciem ingreditur, & dum nullas ex se ad consentiendum vires præbet, aut habet, qvas tamen Spiritus S. gratiosè subministrat, vi qvarum consentire mens potest, sèpissimè nihilominus consensum, carnalibus curis implicita, impedit. [4] Cum debet eligere homo bonum à Spiritu S. monstratum, valdè caro reluctatur, & acuitur lucta, datur compunctionis cordis, dantur motus pristinum vitæ gen° delectabile & liberum in memoriam revocantes, & amaritudinem tristitiae in verâ poenitentiâ subortæ exaggerantes, qvi à vitiosâ carne proveniunt: dantur etiam motus futurum gratia statum demonstrantes, & propositum coemptum sine intermissione urgentes, qvi non nisi à Spiritu S. promanant. Hic dubiæ cogitationes animum hominis undique distrahit, utri obsequendum, num Spiritui ex tebris ad lucem, à Diabolo ad CHRISTUM, ex statu iræ in statum gratiæ transferenti, num verò carni mundanis vitiis & cupiditatibus

tibus inhærenti? Qvæ si per Spiritus S. concessam gratiam, sup-
pressa & abjecta carnis persvasione, feliciter superat; & motibus
Spiritus S. ad apprehendendum CHRISTUM rectè utitur, jam
homo convertitur, & conversus accipit ab inhabitante Spitiu vi-
res sufficientes, tum ad proficiendum in sanctificatione, tum futu-
ris etiam tentationibus, & Diaboli & Carnis & Mundi, efficaciter
resistendum.

¶ §. XI. Ex dictis conseqvitur: Hominis carnalis vires liberi
arbitrii s. σωματικοὶ in conversione nullam esse: qvod notamus
contra Pontificios, multum à veritatis tramite deviantes, dum ho-
mini in conversionis actu σωματικοὶ tribuant, qvod in illo alijsq;
motibus Spiritui s. gratiæ divinæ cooperati possit: Et Synergistas
delirantes, hominem divinæ gratiæ in primo statim conversionis
momento σωματικοὶ & adsentiri, licet fiat langvidius. Urgemus
verò contra hos, præter loca II. Corinth. III. 5. I. Cor. II. 13. 14.
Gen. VIIH. 21. Rom. VIII. 7. & alia, hoc argumentum ex nostro di-
cto, alijsq; locis luctam Carnis & Spiritus describentibus forma-
tum: Si Caro i. e. natura corrupta, mens, voluntas, cor & omnes
vires ac facultates hominis veteris adversus Spiritum concupiscunt:
repugnant & hostiliter cum eo colluctantur Gal. V. 17. si lex mem-
brorum repugnat legi mentis Rom. VII. 23. si vetustas Carnis novitatem
Spiritus in operibus bonis retardat atque impedit; utique Spiritui S.
non potest cooperari, nec gratiam prævenire, nec oblatam pro-
priis liberi arbitrii viribus acceptare poterit: posito enim uno
contrariorum, alterum tollitur: Jam verò cooperari Spiritui
& resistere eidem, planè contraria sunt, proinde simul haud consi-
stere poterunt. Atqvi verum est p̄fius: ergo & posterius.

§. XII. In homine converso & renato paulo aliter se habet
hæc lucta; nam qvamprimum homo ad DEUM conversus ex sta-
tu culpa in statum gratiæ transfertur, tum vires diligendi DEUM
& observandi legem qvodammodo restaurantur. Carni enim
vel peccato dominium adimitur, ut qvamvis resistat suis affecti-
bus Spiritui, Spiritus tamen vincat & Carnem mortificet. Hinc
concedenda est renatis σωματικοὶ qvædam, qvia vires cooperan-

D

di (nom

di (non qvidem ex naturâ pullulantes; sed) à Spiritu S. per verbum
gratiosè collatas & excitatas habent. Qvae tamen bene agendi vi-
tes (non consummatæ, per quas lex DEI possit impleri, qvod nemo
mortaliū unquam præstítit, aut poterit, Phil. III. 12. Act. XV. 10.
sed) inchoatae sunt. Caro enim repugnat Spiritui & omnis San-
ctus tenet orare pro remissione peccatorum Psalm. XXXII. 6. &
carnalis concupiscentia remanet in renatis, cuius instinctu bo-
num, qvod volunt, sèpissimè non faciunt, sed malum, qvod no-
lunt, faciunt, undè sit. ut etiam renati, si à carne se patientur se-
duei, vicissim ad vomitum redeant, ut canes, & peccati servituti
se iterum mancipare possint, de quo §. 9. pluribus actum est.

§. XIII. TOTQ dico, ut denotem subjectum Qvo s. inhæsi-
onis, qvod est ratus homo & totum hominis, in quo velut in areâ hæ
Iucta perficitur. Non enim tantum sunt vires s. facultates infe-
riores s. sensualitas (ut vocatur) sed & superiores animæ faculta-
tes, qvod contra Pontificios est probè observandum, qvod Com. I.
§. 3. adfirmatum ivimus, nolumus exinde argumenta & rationes
repetere & actum agere, sed hoc tantum addimus, qvod, cum pri-
vatio & habitus versentur circa idem subjectum, Originalis quo-
que cœcitatis & concupiscentiae subjectum idem constituendum
sit, qvod fuit Originalis justitiae & imaginis DEI: Hujus non
fuerunt tantum appetitus & inferiores, sed maximè etiam superio-
res mens & voluntas Eph. IV. 24. E. eadem hujus erunt subje-
ctum. Revocamus etiam hic Pontificios ad experientiam, & qvæ-
rimus ex illorum conscientiis, qvis sit, in cuius intellectu tenebræ
magnæ, in voluntate ingens Φιλαυτία, in corde diffidentia non
vigeat, & cuius facultates animi omnes interdum à justo vero bo-
no non aberrent? Etiam sanctissimus fastidit interdum verbum
DEI, aut agrè audit, aut difficulter intelligit, sibiq; applicat;
etiam sanctissimus ad objecta sensibilia viciosos motus in omnibus
potentiis experitur: si aurum vides, annon θλεονεζία solicitaris?
si voluptates offeruntur, annon Φιλεδονία afficeris? si qva gloria
spes; En Φιλεδοζία adest, qvæ ad illam expetendam inflamat;
si qva regnandi occasio, en Φιλαρχία, qvæ ad regnum adfe-
standum

Andandum extimulat. In summa: Nemo est ex sanctissimis, cuius
mens non sit circumsepta erroribus, voluntas pravis suggestionibus, eorū
omnes potentie vitiosis desideriis, quod qui negaverit, hunc magnum
hypocritam & insigniter stultum pronunciavero, nam verissime
Cyprianus serm. de eleemos. Quisquis se inculpatum dixerit, aut su-
perbus, aut stultus est: Ut verè, bene & piè Excell. Dn. D. Meissnerus
in Anthropol. Dec. i. disp. 8. q. i. th. 14. loquitur.

DE REBUS BONIS & MALIS, CAR- NALIBUS & SPIRITUALIBUS COLLUCTANTUR,

§. XIV. Subjectum circa *Quod* sive objectum hujus certami-
nis est tum universale s. generale, tum particulare s. speciale. Uni-
versale est bonum & malum, siquidem bono neglecto caro appetit
malum. Hic observabis: Hoc objectum vel materialiter vel for-
maliter considerari: si materialiter; caro semper eligit & desiderat
malum; sin vero formaliter, tantum appetit bonum, non quod
omne appetibile revera bonum sit, sed quia non appetitur nisi sub
ratione boni. Vel, ut alii efferunt, appetitus defertur ad
Φανερόν bonum & *έντος* malum. Hinc caro appetit munda-
na revera mala sed apparenter bona, & ē converso, odit spiritua-
lia revera bona & apparenter mala, hæc enim carni peccatri
amara & inutilia videntur, quod fit ratione vitiosi habitus, ob
qvem semper ad *έντος* malum fertur, quod ipsi tamen ob intellectus
coœcitatem appetit bonum; & rursum fugit & adversatur re-
vera bonum, quod tamen ipsi ob eandem intellectus coœcitatem vi-
detur malum. Interim verò non negamus, hominem post lapsum,
ratione reliquiarum imaginis D E I, interdum etiam ferri (non in
apparens, sed) *ἀληθινὸν* & reale bonum, unde etiam homo irre-
genitus duas contrarias propensiones in se særissimè experitur,
qvarum conflictus pugnam excitat gravissimam, dum in utramque
partem rapitur, aliudq; Cupido, mens aliud svadet. Particulare
s. objectum in specie est vel mundanum, carnale, profanum, vel sa-
crum, sublime & spirituale; haec inculcando & illa profligando
strenuam Spiritus præstat operam; & ē contrario, in haec profligando

D 2

gando

gando & illa inculcando caro sedulo laborat. *Hec* Spiritus semper suggerit & in sanctis operatur, sed caro per illa his fortiter obiciem ponit & recalcitat, hominemq; carnalia, mundana ei ostendendo, à Spiritu S. operibus retrahere conatur. *Hec* videntur carni amara & inutilia, ergo nestia illa pati, Spiritum cum his aversatur. Vice versa: Spiritus ov̄as bona sacra & spirituallia appetit & homini persuadet, ut hæc agat, hæc ferat, illa intermitat. Ut enim sunt contrarii Duces, sic se planè contrario modo ad hominem habent. Huc etiam refer, ut objecta, ominia, qvæ possunt homini eveneri, ut sunt promissiones & comminationes DEI, ejusdém exhortationes & obtestationes, præcepta & interdicta, virtutē & virtutes & alia.

NE RENATI, QVÆCUNQVE VELINT, FACIANT.

§. XV. Et si Paulus tantum hujus finis mentionem hic facit, possunt tamen præter hunc duo alii constitui, ut sic triplex hujus luctæ finis nobis sit perlustrandus, alius ex parte DEI, alius ex parte in hac pugnâ colluctantium, alius ex parte nostri. [1] Ex parte DEI: Cur ille hanc luctam in renatis superesse voluerit, non quidem nostrum est inquirere: Posset quidem nos perfecte in hac vitâ renovare & carni tam malitiosam contumaciam adimere; quis enim infinitæ ejus potentiae terminos ponet, velle autem hoc ipsum facere unde probabitur? attamen potest esse declaratio justitiae divinæ & comprobatio misericordiæ, qvæ in hoc negotio maximè eluent. [2] Ex parte colluctantium est vel victoria vel clades. Victoria ex parte Spiritus, est destructio mali desiderii & diabolinis Carnis, & operatio bonorum operum, cum qvâ induulso nexu est conjuncta vita æterna, pax & gaudium Rom. VIII. 6. Ex parte Carnis, excusio gratiosæ inhabitacionis Spiritus, & executio malorum operum, quam comitatur mors (non tantum temporalis, sed &) æterna. Clades est ex parte Spiritus tristitia, vel decessus gratiæ, cum hominem peccatorem gratiosâ inhabitacione deserit. Carnis, cum per Spiritum mortificata & suppessa non potest seducere. [3] Ex parte nostri non desunt cause, ob qvas DEUS ta-

US talem pugnam in nobis superesse voluit, primariò, qvōd innuit Paulus, ne faciamus desideria carnis vel aliquid instigante carne, qvæ omnium generum horrenda scelera & peccata per nos perpetraret, nisi Spiritus S. resisteret. Cæterum (1) Hæc pugnâ cohæbemur, ne superbiamus ob gratiam, excitamur ad veram humilitatem; cum enim nostram corruptionem & virium naturæ defecum agnoscimus, cedit superbia, & vera cordis humilitas nascitur. (2) Hæc impedimur, ne desperemus ob miseriam; qvia enim DEUS ex gratiâ confert vires ad carnem domandam & salutem obtinendam, majorem spem concipere possumus, nec ullam dubitandi ob imperfectionem virium causam habemus. Si caro concupiscat & reluctetur Spiritui, desperare non debemus, qvoniam DEUS qui dedit velle dabit etiam perficere Phil. II. 13. (3) Hæc excutit carnalem securitatem, à socordiâ dehortatur & ad solicitam & indefessam industriam calcar addit; qvia enim ex Spiritus gratiâ renovavit, facileq; ob vitiosæ carnis malitiam possumus ad pristinum iræ statum relabi, utique eò magis providi simus, ne gratiam perdamus & iterum peccando amittamus; hoc si fiat, non tam naturæ nostræ injuriam facimus, qvam ipsum lædimus Spiritum S. qui salutem in nobis operatur, cumq; in finem vires largitur, non ut otiosi simus, sed ipsi cooperemur & de die in diem magis magisq; renovemur. (4) Hæc instigat ad verum pietatis exercitium & debitam gratiarum actionem; cum enim omne qvod possumus ex DEO habeamus, non ex vitibus nostris, meritò illum benignissimum DEUM veneramur & prædicamus. Non igitur cum DEO contumaciter expoſtulemus, sed futuram in celo consummationem patienter exspectemus. Plures subordinati fines ex Scripturâ S. possent colligi, sed hic pes figendus & filum dissertationis pio voto abrumpendum: *Benignissime D E U S, qui luctam in nobis esse voluisti, gratiâ tuâ nos noli deserere, sed ad carnem subigendam Spiritu tuo bono nos instrue & alacres redde, ut hic legitimè certantes tanquam boni milites tandem coronam iustitia reportemus!*

& erit tibi

SOLI DEO GLORIA
in æviterna secula; Amen.

D 3

Dicit.

Doctiss. Dn. Respondenti S. P. D.

QVâ ratione ferox magno discrimine bellum
Inter se se agitent Spiritus atque Caro,
Tradis, Apostolicos sensus tacitosq; recessus
Dum felix magnis eruis ipse modis,
CORDES I: bellum hoc solitos confundere præcepis
Perge ferire diu , pellere perge bene!

Scrib. amoris mnemosynon

Joh. Georg. Dorscheus, D.

QUâ Caro Spiritui, quâ Carni Spiritus intus
Obsistunt, Luctam si benè nosset homo ;
Non sererent passim tot scandala, iurgia, lites,
Non bella; Domus, Curia, Templa, Scholæ.
Tu pugnam sistis, quâ se qui vicerit ipsum,
Fortior in numero milite vîctor erit !

Gratul.

P R A E S E S.

Ad Eximum & Prestantissimum

Dn. RESPONDENTEM.

Duram SANCTORUM luciam proponis,

Amice,

Et hic & isthic det DEUS vîctoriam !

L. M. Q.

Casp. Mauritius, D.

P.P. & Superint.

Spiritus

Spiritus atqve Caro iunctantur Corde sub uno;
Adversus Carnem Spiritus arma gerit.
Ac Caro Spiritui semper contraria: Vincit.

Mortificans Carnem spiritualis Homo.
Qvam qvia TU pugnam revocas ad docta Lycea,
Istinc ut Juvenes mutua verba serant.
Laudo tuum studium, Conamina prosperet Ille,
Hoc in te DOMINUS qui benè cæpit opus.

**M. J. STEIN, Pastor
ac Ministr. Senior.**

Spiritus atque Caro, quanto certamine certent,
Quomodo & inter se prælia dura gerant:
Discutienda tibi proponis, dulcis Amice
C O R D E S I, cordis portio magna mei;
Egregius fateor labor es, opus atque probandum,
Nam nihil humanis absque labore venit.
Vinicor aureolas vix palmice colliget uvas,
Ni, faciles apteet vicibus, ante, manus:
Inclita sic variis virtus exercita rebus,
Gnavorier excubum collit honore virum;
Hic opus, hic labor es, hos sustinuisse juvabit
Nixus; qui dulci præmia fruge dabunt.
Macle hoc ingenio, certamina tanta subire;
Sic deus à serâ posteritate feres.
Dummodò sic pergas C H R I S T O sacrare labores,
Ipse D E U S cæpis vela secunda dabit.

Ita Eximio ac Præstantiss. DN. MICHAELI Cordes/
Amico suo fraternitùs dilectissimo de arduâ
hâc & rarissimâ materiâ disputanti gratulari
voluit

**LUCAS PYLIUS, S. Th. & Phil. Studiosus.
Si**

SI sub judicium mi revoco meum,
Quæ qvondam socios nos sibi jungere,
Æstatem, voluit, non quidem es ultimus,
Volvo sic, MICHAEL, corde meo, inter hos,
Quos pridem voluere ipsa crepundia
Junctos. Sic reputes, qvòd male se prius
Non hic præstet amor, qvàm fera deseret.
Antrum, qvàm pecudes gramina, sive aquas
Qvàm mergi celeres, omnia vel sua.
Tellus incipiet robora linquere.
Cùm verò videam, qyòd cupidus sies
Præclarè gerere hanc, qvæ tibi competit.,
Spartam, non potero, qvin benè comprecer,
Intermittere. Agas omnia sidere.
Fausto. Est ardua res, qvam manibus teris;
Ast; qvòd Fiaccus ait, verè ego judico
Dictum: *Nil propè mortalibus arduum.*
Intendas igitur, mente sagaciter
Doctorum ingenii scripta revolvere.
Impigreq; theses, ut facis, ac erit,
Olim qvod poterit lætitiam tibi
Concinnare; licet debilitet labor
Tàm corpus, qvàm animam, mentis & auferat.
Feryorem; meminisse attamen hæc juvat.

Cippum hunc Praestantissimo ac Literatissimo Domino
Respondenti, Amico suo integrissimo, atq; ab in-
cunabulis, ut Græcio loquuntur, jam cognito, de
magistrisq; et aliorumq; differenti, erigere vo-
luit ac debuit

NICOLAI Lütfens, Rost.
S.S., Th. Stud.



Spiritus atqve Caro luctantur Cōrde
Adversus Carnem Spiritus arm
Ac Caro Spiritui semper contraria: V
Mortificans Carnem spiritualis I
Qvam qvia T U pugnam revocas ad
Istinc ut Juvenes mutua verba se
Laudo tuum studium, Conamina pre
Hoc in te DOMINUS qui ben

M. J. ST
ac Minis

Spiritus atque Caro, quanto certamine
Quomodo & inter se prælia dura ger
Discutienda tibi proponis, dulcis Amice,
CORDES I, cordis portio magna n
Egregius fateor labor es, opus atque pro
Nam nihil humanis absque labore ve
Vimior aureolas vix palmitæ colliget urvas,
Nî, faciles aptet vitibus, ante, manu
Inlyta sic variis virtus exercita rebus,
Gnavorer exculum tollit honore virum
Hic opus, hic labor es, hos sustinuisse ju
Nixus, qui dulci præmia fruge dabo
Magis hoc ingenio, certamina tanta subire
Sic decus à serâ posteritate feres.
Dummodò sic pergas CHRISTO sacrare
Ipse DEUS ceptis vela secunda dabo
Ita Eximio ac Præstantiss. DN. M
Amico suo fraternitùs dile
hac & rarissimâ materiâ di
voluit

LUCAS PYLIUS, S. Th.




Image Engineering Scan Reference Chart TE203 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT